


05

A

330





DISSERTATIO PHYSICA,
exponens
QVÆSTIONEM,
AN CREATIO
SIT
PRINCIPIUM ANI-
MÆ HUMANÆ?

PRÆSIDE

VIRO Præcellentissimo, Amplissimo atq; Præclarissimo

M. NICOLAO BENE-
DICTO PASCHA,

Facultatis Philos. Adjuncto Seniore

Meritissimo, Collegii Grüningiani Professore,

ejusdemq; nec non Scholæ oppidanæ quæ est Stargar-
diæ, RECTORE vocato.

*Domino Præceptore, Studiorumq; suorum Promotore
æviternum devenerando.*

RESPONDENTE

WOLFGANGO BALTHASARE

EBERHARDO, Ratisbonensi.

In Auditorio Majori

Ad diem 18. Augusti, Anno 1677.

H. L. Q. C.



WITTEBERGÆ, Literis JOHANNIS WILCKII.

INCLYTÆ. LIBERÆ. QVE.
S. ROM. IMP. REIPUBLICÆ.
RATISPONENSIS.

ILLUSTRI.

MAGISTRATUI.

VIRIS.

MAGNIFICIS. PERSTRENUIS. NOBILISSIMIS.
CONSULTISSIMIS. AMPLISSIMIS.

PRUDENTISSIMIS.

DOMINIS. PATRONIS. EVER-
GETIS. AC. PROMOTORIBUS.

PER. ÆTATEM. DEVENERANDIS.

Qvalescunq; has Exercita-
tionum Academicarum primitias, in
sui suorumq; studiorum ulteriorem
Commendationem



05 A 330

D. D. D.

RESPONDENS.



B. C. D.

PROOEMIUM.



Difficilis Quæstio est, cujus solutionem aggredior, tentatam à multis, evitatam à pluribus, inventam à paucissimis. Sunt qui fluctuant animo ac incerti hærent, an affirmativæ subscribere debeant, nec ne? Pleriq; affirmativam amplectuntur; Paucissimis sed sapientissimis negativa arridet. Magnus argumentorum prostat numerus ab utrâq; parte, tum è Scripturæ fontibus, tum è Rationis scrutinio petitis.

Hinc evenit, quòd *Theologi* pariter ac *Philosophi* in hac quæstione se exercent. Fatendum etiam, quòd *Theologorum* argumenta tantò post se relinquant *Philosophorum* rationes, quanto *Theologica certitudo* prævalet *Philosophica*.

Integer foret conscribendus Tractatus, si utriusq; ordinis argumenta *negativam* tuentia plenè exponere; Pro *affirmativa* verò militancia omnia refutare vellem. Sed nec actum agere animus est, nec falcem in alienam messem immittere.

A 2

Hinc

Hinc quæ Theologis propria à nobis in hoc Philo-
phiæ foro non expectabis, & quæ inter Philosophos in hæc
causâ utrinq; nimis trita agitantur argumenta pleraq;
consultò omittam. Id tantum agam, ut non modò Ter-
minos in hæc Quæstione scitu necessarios accuratè explicemus;
cum certum sit, istarum vocum ignorantiam haud
levem sæpè præbuisse occasionem erroris, qui quandoq;
utramq; partem notat, & possis hinc ingeminare tritum
illud:

Iliacos intra muros peccatur & extra.

Sed etiam solidis ex ipsâ naturâ petitis argumentis bonam
causam juvemus, & accuratè dextrèq;, non superficialiter
ac subdolè adversariorum objectiones discutiamus. DEO
enim juvante id præstabimus. Tu Lector, non ex amoris
sed veritatis flagrante animo, hæc, quæ dicuntur, judica.

§. I.



T omnis Quæstio simplex *Subjecto* con-
stat & *Prædicato*, ita & hæc, quæ quæritur:
*An CREATIO sit Principium
anime humane?*

se habet. Uterq; autem hic terminus sc.
Subjecti & Prædicati ambiguus est, quam si non tollas am-
biguitatem, vana erit omnis Disputatio, cum *super Æqui-*
vocis (ut habet Logicorum Canon) quæ talibus non sit
contradictio. Hæc autem sublata tollitur Disputationis
anima, ut iterum boni Logici docent.

§. II.

Subjectum est Creatio, cujus vocis quæ Etymon &
varias

varias acceptiones, nec non æquivalentia vocabula, expositionem abundè traditam leges in *Systemate Theolog. Magnif. D. Calovii, Viri de Ecclesiâ si. mmè meriti. Tom. 3. Art. 5. c. 1. p. 886. 888.* Item per quam Rever. Dn. Licent. Manitii b. t. apud Belticenses Superintendentis Disput. de *Creatione, Respond. Joach. Pfeffer Thes. 1. &c.* Nos levioribus his misis ex Onomatologiâ hujus vocis id tantum (cum hoc unicè ad præsentem statum faciat) repetimus, quòd Creatio modò accipiatur *Metaphoricè & improprie*, modò *proprie & in primâ significatione.*

Illas nunc non attendimus; Hæc verò modò restricto, modò ampliato sensu (quem cave cum improprio confundas. conf. Nold. in Leg. distingu. p. 341.) accipitur. Latissima creationis significatio (manendo intra proprietatis sphæram) notat actum, quo Deus aliquid producit (per veram causalitatem) quocumq; modò, sive immediatè ex nihilo seu ex præexistente quâdam materiâ; seu interveniente causâ efficiente secundâ seu nullâ interveniente causâ secundâ; Quam significationem attendere Metaphysici necesse habent, qui Creatum & Increatum pro adæquato Entis attributo venditant, ut omne Ens præter Deum à Creatione denominare queant, nec opus habeant, ut inter Creatum & Increatum Ens, Entia generata, facta, præparata, introducta &c. comminiscantur. Quam sententiam non obscurè laudat non nemo in suâ Philosophiâ S. 3. qv. 5. Minus laxa creationis significatio notat actum, quo Deus immediatè ac nullâ interveniente causâ secundâ efficiente aliquid producit seu ex materiâ præexistente aut nihilo privativo seu ex nullâ materiâ præexistente aut nihilo puro. Sub hæc significatione Deus sex dierum intervallo universum mundum creasse & postmodum ab

omni creationis opere quievissè in sacris dicitur. Deni-
que *strictissima* significatio notat *actum*, quo Deus non tan-
tùm *inmediatè* & *sine concursu causa secunde efficientis*,
sed etiam ex puro nihilo aliquid producit; Sic angeli item
rudis indigestaq; moles per creationem suum Esse habe-
re dicuntur.

§. III,

In præsentì non *prima* attenditur *significatio*, cùm
sub illo significato animæ creari extra controversiam di-
cantur: Omne enim præter Deum, Ens creatum dici pos-
se, imò solere, penes nostrates in confesso est. De secun-
dâ etiam acceptione non adeò quæritur, cùm de operi-
bus post creationem sit sermo, ac præcisè de productione
ex nihilo puro quærat. Tertiâ proinde significationem
attendimus, quam ut accuratiùs intelligamus, in ejus na-
turam & requisita penitiùs inquiramus.

§. IV.

Est itaq; *Creatio* in specialissimo significato *actus si-*
ve actio, quâ Deus *inmediatè* (sc. quâ *Causam efficientem*,
& *materiam ex quâ*) *aliquid ex nihilo producit*. In quâ
Descriptione occurrit (1.) *Conceptus contrahibilis*, quem
facimus *actum*, qui cum Activus l. Passivus sit, quo de vide
nostrum *Collegium Ontolog. Disputat. de Actu & Potentiâ*,
Præcepto 4. h. l. Activum intelligimus, qui etiam actio
dicitur; cave tamen Prædicamentalem intelligas, quæ
concretivè spectata semper Motum implicat, & accidens
est realiter inhærens, adeoq; & Ens per creationem pro-
ductum, quod de ipsâ creatione ad evitandum processum
in infinitum, jure negant accuratiores; (2.) *Conceptus*
contrahens, qui desumptus est *partim* à principio actûs,
qui est *DEUS*; Nulli enim Enti præter Deum actus crea-
tionis

tionis convenire potest, ita ut ab eo Activè denominari possit; *partim* à Termino à Qvo, qui est *purum Nihil sive nulla præexistens materia*. *Partim* à Termino ad Qvem, quod est *Ens*. Sunt qui Terminus Creationis faciunt Substantiam, unde accidentia tantum concreari non creari docent; Creationemq; Speciem actionis substantialis faciunt; Sed concretio à creatione prout illi eam h.l. accipiunt formaliter non differt, sed tantum accidentaliter; Ad quod discrimen accidentale cum nos in præfenti non respiciamus, Ens sc. finitum suâ latitudine pro adæquato creationis Termino venditamus. *Partim* à modo productionis, qui consistit in eo, ut immediatè ex Nihilo aliquid producat, ubi non quodvis medium excluditur, ut est medium Subjecti, Loci &c. Sic cum Deus creat accidens, non nisi mediante Subjecto id facit, cum extra Subjectum nequeat existere accidens: Similiter si in hoc mundo aliquid Ens ex nihilo faceret, & foret id creatum dicendum, speciali sensu, non obstante quod mediante *Loco* esset productum, sed excluditur saltem medium causalitatis & materiæ ex quâ, adeò ut sensus sit, Deum creando non concurrere cum aliâ causâ cooperante, nec ex præexistente materiâ aliquid producere.

§. V.

Ex dictis ergò patet ad Creationem speciali sensu quatuor potissimum requiri: (1) *ut aliquid producat*: Non enim est actio destruens sed efficiens. (2) *Ut ex nihilo aliquid producat*. (3) *Ut immediatè h. e. citra concursum cause inferioris secunda aliquid producat*. (4) *Ut virtute infinitâ & independente* (aliter enim Deus non agit) *res producat*; Quod est *formalisimum Requisite* & non in speciali tantum, sed generalibus etiam significationi-

tionibus involvitur. Unde graviter errant, qui quamvis productionem rei ex nihilo Creationem vocant, cum talis actus etiam Creaturam denominare possit, ut ex infra dicendis constabit.

§. VI.

Hactenus Subjectum nostræ Quæstionis exposuimus, nunc ad *Predicatum*, quod cum vox complexa sit, singulas voces incomplexas seorsim exponemus. Prior terminus est *Principium*, quod variis quoque subest acceptionibus, quas evolvimus in nostro *Colleg. Ontol. Disputatione de Principio & Principiato, Præcepto I. §. I.*

In præsentī de Principio non *cognoscendi*, sed *essendi* quæritur; Cùmque Principium modò sumatur *materialiter & concretivè*, pro re ipsâ, à quâ aliquid originem ducit; modò *Formaliter & Abstractivè* pro ipsâ origine à quâ aliquid alterius respectu Denominationem habet, ut dicatur Principium; *Observabis* in præsentī non de priori sed posteriori significatione quæri: Illo enim sensu ne Adversarii quidem doctiores, creationem Principium dicent animæ sed Deum creantem.

§. VII.

Alter Terminus est *Anima humana* de quâ notabis, quod quidam ex adversariis in homine triplicem Substantialiterque distinctam animam hominis statuunt, & hi restringunt Controversiæ statum ad unam duntaxat, animam nempe rationalem, exclusâ animâ vegetativâ & sensitivâ, quæ hypothesis tamen vana & falsa est, eaque à *B. Sperlingio* accuratissimè refutata in *Institutionibus lib. 9. qv. 1.* & alibi. Alii contra unam animam defendunt, tribus realiter distinctis (sunt etiam, qui rationis distinctionem urgent, sed malè) facultatibus præditam, & hi citra deter-
mina-

minationem ad animam rationalem (cum anima rationalis, sensitiva & vegetativa in homine sit una eademque anima) Quæstionem de animâ hominis nudè proponunt.

Id verò accuratè adhuc observandum, quod multi negligunt, animam hominis considerari posse vel in *Statu abstracto* (loquor de abstractione totali, juxta quam conceptus superior & universalior ab inferioribus abstrahitur) prout exhibet ideam animæ abstractæ à quâvis anima hominis vel in *statu fundamentalis*, prout in singulis Individuis radicatur, non de illo sed de hoc statu quæritur, cum *actiones & Passiones non sint universalium sed singularium, ut habet Metaphysicorum Canon*, non tamen de omni animâ quæritur, sed iis duntaxat, quæ à Protoplastis & post divinam benedictionem factam in Paradiso de multiplicandâ sobole. *Gen. 1.* esse incipiunt.

§. VIII.

His suppositis *negativam* amplectimur ac *Creationem animæ humanæ principium esse negamus*, his argumentis:

Primum argumentum.

*Quæc. origo nostro tempore in totum cæsat, ea nequit adscribi animabus humanis,
Atqui origo per creationem speciali sensu in totum cæsat &c. E.*

Major fundatur in Canone: Sublato toto, tolluntur omnes ejus partes. Minor ex sacris patet. Gen. 2. v. 2. Ubi expressè asseritur Deum 7mo die ab operum abs se intra Hexæmeron conditorum per creationem productione quievisset. Quies enim à creatione infert negationem Creationis. Loquimur autem de ordinario agendi modo, non extra-

B

ordinario,

ordinario, non enim negamus DEum hodieq; posse crea-
re aliquod Ens immediatè juxta absolutam & extraordi-
nariam suam potentiam, sed *Qvæstio* nunc est de ordina-
rio & qvotidiano DEI influxu.

§. IX.

Excipiunt adversarii Deum qvievissè ab omni ope-
re non *absolutè* sed *secundùm quid*, qvatenùs nullam spe-
ciem de novo producit, licet interim ad conservandam
speciem jam productam individua ejusdem creando per-
gat. *Sed respondemus* Deum utiq; simpliciter & absolu-
lè à creatione rerum non tantùm qvâ specificum, sed et-
iam Numericum earundem esse qvievissè; Nec obstat,
qvod hodiernum ad Specierum conservacionem DEUS
concurrat, in cujusvis individui productione; à concursu
enim & influxu Dei generali ad creationem speciali sensu
acceptam non licet argumentari.

§. X. *Secundum argumentum.*

*Quicqvod hodiè fit ordinariè id non fit à DEO
immediatè, & consequenter nec creatur.*

*At qvæ anima humana propagatur hodiè or-
dinariè. E.*

Major probatur, qvæ Creatio Specialis est actio, qvâ
Deus immediatè aliquid producit, ut patet ex supra dictis,
non ergò fieri potest ordinariè, cum DEUS in ordinario
suo influxu, ex liberrima sua voluntate sese alligaverit
causis secundis. *Minor* experienciâ constat.

§. II. Ter-

§. XI. *Tertium argumentum.*

Quicquid generatur sive per traducem propagatur, ejus origo non est creatio.

Atqui anima humana generatur &c. E.

Major probatur, quia modus productivus per traducem opponitur modo productivo per creationem; Illius enim Principium est Natura, hujus Deus immediatè influens. Minor probatur à B. Sperlingio in Institutionibus Physicis libro 1. c. 3. quæst. 3. item à Magnif. D. CALOVIO loco citato Tomo 3. Art. 5. cap. 2. quæst. 10. p. 1081. &c.

§. XII.

Excipiunt adversarii, committi petitionem Principii, cum hujusmodi propagatio animæ per traducem repugnet naturæ spirituali, Spiritum enim non posse generari in propatulo esse. Respondemus, Falsum est Spiritum non posse generare Spiritum, ut enim nihil dicam de filio Dei, qui utiq; Spiritus est, & tamen genitus est ab æterno à Patre: Contrarium patet manifestè de animabus humanis; Distingvant ergò adversarii inter Spiritum completum & incompletum & inter generationem multiplicativam ut non multiplicativam; N. Spiritus completus Spiritum generare potest multiplicativè, benè tamen incompletus.

Quod si adversarii adhuc urgeant, Spiritus naturam quàm talem non posse admittere generationem multiplicativam, ostendant repugnantiam. Instat David Derodon, id utiq; repugnare, si enim Spiritus per traducem propagatur & per semen traducitur, vel semen illud erit corporeum vel spirituale; Sed neutrum fieri potest. Ergò &c. Non illud, quia alioquin anima humana esset corruptibili-

lis & mortalis; Nec hoc quia si semen spirituale esset nunquam semen foret irritum & corruptibile, quod contra experientiam. *Respondemus*, anima per semen corruptibile propagatur non tamen ideo ipsa est corruptibilis, nulla enim consequentia, vehiculum est corruptibile, E. & id quod vehiculo continetur est corruptibile, quemadmodum non sequitur: Corpus est corruptibile, E. & anima corpore contenta est corruptibilis &c.

§. XIII. *Quartum argumentum sit hoc:*

Quaecumque sententia multas parit absurditates, ea sententia non est veritati consona.

Atqui haec sententia talis est. E.

Major propos. probat. quia verum quia verum nullius falsi ne dicam absurdi causa esse potest. *Minor* probatur quia si anima crearetur sequeretur (1) *Hominem non generare hominem sed tantum partem hominis nempe materiam, & sic non esse causam univocam Effectus sui, deterioris multo brutis, quae se tota propagant.* (2) *Benedictionem omnibus corporibus viventibus factum de propagatione sua Speciei, ad hominem, ut ut sit nobilissima creatura haud quaquam pertinere.* (3) *Deum esse causam peccati, cum anima cujusvis hominis sit infecta peccato, quod vi hujus hypotheseos vel per creationem unam cum anima producit, (quod blasphemum) vel propter animam innocentissimam in corpus peccaminosum introductam vi arctissimam cum eo unionis ipsi adheret, (quod injuriosum est in Deum) &c.*

§. XIV.

Excipit quia prius absurdum *Alstedius & Hornejus* non sequi, *Hominem non generare hominem si animam non simul*

simul generat, cum etiam hominem dicatur occidere is, qui tantum corpus perimit illasâ animâ. *Respondemus*, corpus non perimitur propter materiæ destructionem, sed propter actus vitalis seu vitæ everfionem, qui ergò hominem occidit, simul animam destruit, si non in actu primo & Substantiali, tamen in actu secundo & formali.

Instant Sufficere, ut homo generet hominem, si animam à DEO infusam cum corpore uniat natura, ut totus homo in lucem edatur. *Respondemus*, Nequaquam hoc sufficit; totalitas enim hominis non tantum includit modum seu unionem cum alterâ parte ignobiliore, sed omnes partes simul sumptas, ne dicam nobiliorem qualis est anima. *Regerit Baronius & Derodon* generationem non consistere in productione Formæ, sed in conjunctione Formæ cum Materiâ. *Resp.* Conjectio illarum partium non absolvit totam generationem, sed simul ad eam requirit partium constitutarum productionem; Imò hoc principale est, illud accessorium. Adde, quod generatio sit actio viventis, quâ vivens sibi simile producit, at conjunctum, quâ tale non est vivens.

Replicant in novissimo die homines de novo producentur, nec tamen animæ eorum de novo producentur, sed tantum cum corporibus unientur. *Respondemus*, Distingvendum esse inter productionem generativam & restaurativam, illa non tantum unionem, sed etiam partes uniendas producit. Hæc verò partes dissolutas denuò conjungit; Toto ergò Coelo differunt generatio & resuscitatio. *Ad secundum absurdum excipiunt*: Nihil decedere hac ratione præstantiæ humanæ naturæ, imò eam augeri, cum nobilius sit accipere animam per creationem à DEO, quam per generationem. *Resp.* Non de passivo

sed activo principio loquimur, cujus respectu utiq; natura humana deterior esset brutorum naturæ, quæ vi benedictionis divinæ totam naturam sui geniti propagat, homo vero tantum alterutram imò ignobiliorem partem propagaret.

§. XV.

Deniq; id confirmamus ex consensu plerorumq; Patrum & Orthodoxorum Ecclesiæ Doctorum, nec non Philosophorum accuratiorum; animas enim non creari nobiscum *Irenæus, Tertullianus, Greg. Nissenus, Augustinus* &c. asserunt. Quorum sententiis accedit *B. noster Lutherus*, qui etsi in 47. cap. Geneseos nolit disputare, an anima egrediatur de corpore h. e. semine paterno, (quam egressionem neq; nos adstruimus) probasse tamen ipsum magis sententiam de traduce *B. Chytræus* testis est. *Lib. de vitâ & morte. part. 2. p. 26.* Cum quo consentit *Philippus* in primâ enarratione *Symboli Niceni, Parte 1. oper. fol. 413.* Favet etiam huic sententiæ *Formula Concordiæ* capite de Bonis operibus Thes. II. & omnes ferè orthodoxi Theologi si unum fortè *Brentium* cum paucis aliis excipias, qui cap. 2. Tomo 1. operum folio 32. Creationem animarum adstruit.

E Reformatis partibus nostris accedit *Peucerus, Georgius Sobnius, Combachius, Timotheus Brigtheus, Philippus Marnitius, &c.* Ex Philosophis recentioribus nobis adstipulantur *Julius Cesar Scaliger, Sennertus, Sperlingius, Kippingius &c.*

§. XVI.

Antithesis olim *Hieronimi & Theodoretii* fuisse dicitur, quos sequuntur Doctores *Scholastici, Pontificii & Reformati*, quos magno numero recensitos lege apud *Kippingium in Institutionibus Physicis lib. 9. c. 3. p. 386. &c.* Objiciunt

jiciunt primò: *Quia Deus animam Adamo inspirasse legitur.*
Gen. 2. v. 8. *Respondemus*, Consequentiam nullam esse, cum pari jure de corpore Adami quis colligere posset, quòd Deo eadē ratione corpora nostra hodiē efficiat, quā ratione corpus Adami ex limo præparavit, quod tamen absurdum & contra apertam experientiam. Distingvant ergò adversarii tempora, ne Deo tribuatur quod naturæ est, & vice versà, ne imputetur naturæ, quod DEI est. Primas enim rerum formas Deus creavit, inde benedictionē illis impertivit, ut se porrò usq; ad seculi finem multiplicarent, itaq; creatio est naturæ institutæ, generatio vero naturæ prorogatæ eximium privilegium.

§. XVII.

Porro objiciunt, *Non aliâ ratione nostram animam propagari, quàm Christi propagata est, at anima Christi non per traducem sed per creationem propagata &c.* Ergò. *Antecedens* probant, quia Christus Patrem in terris non habuit. *Respondemus* nec majorem nec minorem procedere, Non major, quia non simpliciter & per omnia convenit productio animæ Christi cum productione animarum cæterorum hominum; Agnoscimus enim aliquid miraculi subfuisse in illâ propagatione, cum sine virili semine conceperit Mariâ. Deinde negamus etiam minorem, etiamsi enim propagationi animæ Christi specialis traductionis modus subfuerit, non tamen ideò omnis traductio neganda, & in creationem vertenda.

§. XIX.

Tertiò urgent nonnulla *Scripturæ Dicta*, & in favorem sui citant Eccles. c. 12. v. 7. Zach. 12. v. 1. Ps. 33. v. 16. &c. Ad quæ loca respondent Theologi. Nos ne falcem in alienam messem immittamus in præsentem hæc intacta relinquemus.

Quartò

§. XIX.

Quartò urgent, quia *Adam fuit corruptibilis, non ergò incorruptibilem animam producere potuit.* Respondemus neg. conseqv. quæ valeret, si ex corruptibili semine animam fieri nostrates docerent, quod tamen nos non facimus, qui statuimus animam in semine fieri & mediante semine propagari.

§. XX.

Quintò, Quia generatio multis scaturit inexplicabilibus Difficultatibus: quod probant adducendo multa argumenta, quæ videntur id probare, in primis urgent, ut Specialem Traductionis modum Nostrates declarent. Verum nos negamus antecedens; argumenta specialia, quæ ad minorem probandam adducuntur, quia directè Quæstionem principalem non feriunt & ab aliis abundè discussa in præsentia non placet adducere, ad publicam disputationem reservando, quæ paulò fusiores declarationem postulant.

§. XXI.

Deniq; urgent, quod *animæ ex nihilo producantur, productionem autem ex nihilo esse formalem rationem creationis.* Sed respondemus negando Creationis formalem rationem absolvi per nudam productionem rei ex nihilo, quod non docent tantùm instantiæ à Speciebus intelligibilibus sumptæ, sed etiam definitio Creationis suprâ tradita, ubi expressè fit mentio independentis influxûs & virtutis infinitæ.

Dicis, Virtutem Infinitam ad omnem productionem rei ex nihilo requiri, cum inter Ens & Non Ens sit infinita distantia. Respondemus negando omnem productionem rei ex nihilo supponere virtutem infinitam (loquendo de
Prin-

dò allegatæ species intelligibiles; Deinde distingvo inter productionem rei ex nihilo immediatam & mediatam, illa nequit fieri à causâ finitâ. Hæc vero optimè fieri potest. Quæ de infinitâ distantiâ inter Ens & non Ens differunt nugæ sunt, cum hujusmodi infinitas sit purè negativa, adeoq; præsupposito generali Dei concursu etiam naturæ viribus transiri possit.

Excipiunt nonnulli Instantiam de Speciebus Intelligibilibus esse impertinentem, cum sint accidentia, Quæstionem autem h.l. esse de Substantiis. *Respondem* utiq; ferit adversarios, cum in τ produci ex nihilo ponant summam difficultatem, quod si addant Terminum Substantialem, ne tunc quidem nos premunt satis, quia sic colligo: Si productio rei Substantialis ex nihilo repugnat naturæ, aut ideò repugnat quia ex nihilo fit, quod non est, propter allegatas Instantias; aut ideò repugnat, quia res substantialis est, quod etiam non est, cum natura multas Substantias producat, quod non diffitentur adversarii.

§. XXII. Pauca hæc properante pennâ de difficili hæc materiâ placuit exhibere, pluribus argumentis suppressis, præcipuè quòd eorum numerus passim occurrat, & nobis ob alia negotia, quæ sub abitum & discessum ex Almâ Leucoreâ nostrâ nos obruunt, non licuit esse prolixioribus. Deo interim gratias agimus pro singulari beneficio, quo nos per tredecim & dimidium annum afficere voluit, adeò ut nec sumptuum inopia nos presserit, nec morborum vis nos vexaverit; Multaq; alia commoda & beneficia mediantibus Dominis Patronis ac Præceptoribus in nos contulerit, quorum memoria nunquam apud nos erit deleta.

S. D. G.

Wie über schwer es sey der Seiten-Entpflanzung
zeigen/

Und daß nicht mehr anitzt die Schöpffung
finde statt/

Er Werthester allhier ganz klar erwie-
sen hat; (gen/

wovon selbst Augustin und unser Luther schweiß
Davon schreibt er beherzt / und was der War-
heit eigen

Dem fällt er weißlich bey. Wohl diese schöne
That/ (ster-Grad.

Zeigt / daß er hat verdient schon den Magi-
Gott gebe daß er bald denselben mög' ersteigen!

Ich/ der ich seinen Fleiß und gutter Gaben-
Zier/ (für/

Mit meinen Augen seh so herrlich strahlen
Erfreue mich gar sehr / und wünsch aus treuem
Herzen/ (ner Fleiß

Daß bald nach kurzer Zeit sein stets erwies-
In Gottes Weinberg auch erlange Ruhm
und Preis/ (ken-

Den ihrer viel anitzt aus eigener Schuld verschere
PRÆSES.



Militat omnis amans; Sophia sic captus amore
Sub signo miles fortiter arma petis.

Egre-

Quò te virtutum sacra corona vocat.

Plurima, vaticinor, Patriæ tu commoda reddes.

Virtutis pones sicq; trophæa tua.

*Amoris & sinceri affectus ergò sic
gratulabundus f.*

Christianus Eridericus Braunius,

Mügelensis Misnicus.



D*iligens quantum fueris colende
Frater in præsens tua scripta monstrant:
Hinc Tibi surget citius decora
Fama decusq;.*

Pergito sic, nil metuens laborum,

Nominis fax clara Tui ut nite scat,

Et comas lauru meritas Sophorum

Cingat Apollo.

*In gratiam Pereximii atq; Literatissimi
Dn. Respondentis, amici sui desideratis-
simi hæc adjicere non dubitavit*

J. G. Dolanski, Neo-Bolesl. Boh.

S.S.Th. & Phil. Stud.



M*agna subest Studiis gravitas, sed tempore parvo,
Quod grave pulchrum est, hos concipe mente so-
nos.*

Nam postquam cursu Syrtes superaveris istas,

Successus faciles aura secunda dabit.

Es Tibi nunc ipsi charissime, testis, Amice,


Dum fructus dulces hocce Labore capis.

Has

Has Tibi primitias Studiorum ianxit Alumnus,
Patria, nunc gaude, gloria magna tua.

*Benevolentia ergo Amico & Conterraneo Pl.
dilecto gratulabundus deprop.*

Joh. Adam. Annacker, Rat.
S.S.Theol.Stud.


Felix! Leucoreos campos qui visit amœnos,
Albis ubi rapidas per vada volvit aquas:
SAXONIÆq; petit Parnassia Culmina, MAGNÆ
Imperiô regitur quæ, ENSIFER ALME, Tuô.
Ut Terræ pingvi Studiorum semine credat,
Hinc nunquam vacuus, crede, redire potest.
Semina, nam terræ, si quæ sunt credita pingvi,
Hæc semper magnô fœnore reddit ager?
Testem Te nobis ipsum jam sistis, Amice!
PATRIA Gaudet, Honos surgit & inde Tibi.
Hos porrò in studiis successus opto secundos,
Præmia Virtutis jam Tua vota petent.

Gratulabundô animô A.A.T.

Georgius Christoph. Melchioris de Zuanna
Semp. Hung. J.U.Stud.

Incitat ut currant ad metam erecta Corona:
Solum Victorem præmia pulchra manent.
Præmia nec Musis defunt, erecta Corona est
Laudum, currendum! Gloria calcar habet.
Hinc Eberhardus Doctrinæ cernit honores.
Hinc scripta ex Cathedrâ protegit ore sua
Initium tam felix, quæ est speranda Coronis?
Sic laudem studii & parta trophæa refert.

Hæc Amico ac Conterraneo per dilecto amoris ac
benevolentia ergo gratul. appon. voluit

Joh. Andreas Bardt Rat.
S.S.Theol.Stud.



05 A 330


ULB Halle
004 209 613

3



VΦ17





DISSERTATIO PHYSICA,
exponens
QVÆSTIONEM,
AN CREATIO

SIT
PRINCIPIUM ANI-
MÆ HUMANÆ?

PRÆSIDE

VIRO Præcellentissimo, Amplissimo atq; Praclarissimo

M. NICOLAO BENE-
DICTO PASCHA,

Facultatis Philos. Adjuncto Seniore

Meritissimo, Collegii Grüningiani Professore,
ejusdemq; nec non Scholæ oppidanæ quæ est Stargar-
diæ, RECTORE vocato.

Domino Præceptore, Studiorumq; suorum Promotore
æviternum devenerando.

RESPONDENTE

WOLFGANGO BALTHASARE

EBERHARDO, Ratisbonensi.

In Auditorio Majori

Ad diem 18. Augusti, Anno 1677.

H. L. Q. C.



WITTEBERGÆ, Literis JOHANNIS WILCKII.